

& ratione tituli Ecclesiastici, scilicet beneficii, & illud stipendium sufficiens est ad obligandum impertinentibus autem est, siue recipiat id ex vno, siue ex pluribus beneficiis. Sic Suarez de relig. lib. 4. de horis canon. cap. 21. num. 12. dicens, hoc esse indubitatum. Idem tenent valde docti recentiores, & est omnino certum.

DVBIVM LXXI.

An qui habet solum beneficij titulum, & ex eo nullos fructus percipit, teneatur ad horas canonicas.

NOta, quod sex modis contingit habere titulum beneficii, & non percipere fructus. Primo, quia beneficiarius non residet. Secundo, quia est excommunicatus, vel irregularis, vel suspensus. Tertio, quia ad tempus in poenam delicti priuatur fructibus. Quarto, quia ex statuto, vel consuetudine, vel alio privilegio fructus primi anni, vel plurius referuntur fabricae Ecclesiae, vel beneficiario proxime defuncto. Quinto, quia beneficium est litigiosum. Vitio, quia fructus referuntur pro pensione renuncianti beneficium. Et quia in quolibet horum modorum est specialis difficultas, de illis scilicet dubiis sequentibus differendum est: in praesentiarum vero solum vertitur in dubium in genere, an obligatio recitandi confurgat ex solo beneficii titulo, ac proinde solus ille obliget, scilicet eum, qui fructus nequit percipere; an confurgat ex beneficii titulo cum fructuum perceptione, ac proinde, qui fructus nequit percipere, solutus sit a recitandi obligatione.

Triplex est sententia.

1. Prima docet, solum beneficii titulum absque fructuum perceptione obligare ad recitandum. Probatum primo, quia talis sponte sua acceptauit beneficium cum onere non percipiendi fructus, ergo teneatur ad horas, aliis nec teneretur ad complendum in Ecclesia illud ministerium, quod exigit ipsum beneficium, quod est contra caput clericum vitium, dist. 91. Secundo probatur, quia, quando acceptat beneficium, & consentit, ut non possit percipere fructus, videtur acceptare beneficium cum onere recitandi, & soli iuri recipiendi fructus renunciare. Hanc tenet Merina C. de oratione, quae de necessitate vocaliter orandi oratione publica. Maioris 4. dist. 12. quae 3. Eiusdem sententiae videtur Palud. 4. dist. 15. quae 5. num. 15. & Turrecem. cap. 2. dist. 91. num. 19. dicunt enim haec: Si quis receptus est in canonicum, licet nihil percipiat, nec distributiones quotidianas, nec aliquid aliud emolumentum praebende ad praesens, sed recipere expectat in futurum, teneatur ad horas, quia habet verum beneficium, & vocem in Capitulo, & statum in choro.

2. Secunda sententia se distinguit. Si ille beneficiarius sponte sua susceperit illum beneficii titulum, teneatur ex solo titulo recitare, & sibi imputet, si vero cogitur a superiori, ut acceptet beneficium sine fructibus, non teneatur, quia, quod obedientia compulsi facit, non est sibi imputandum. Sic Ledesm. 2. 4. quae 16. art. 4. dub. 5.

3. Tertia sententia docet, quod quando beneficiarius habet titulum beneficii sine fructibus omnino, & per illum non stat, quominus fructus ha-

beat, non tenetur recitare. Ratio, quia cum recitandi obligatio non nisi ex sacro ordine, vel perceptione mercedis confurgat, iniunctum videtur onus imponere, cui merces negatur: ut habetur cap. cum secundum Apostolum de praebenda. Et est regula iuris in 6. Qui sentit onus, debet & commodum sentire. Hanc docent Sotus lib. 10. de inst. 9. 5. art. 3. vers. Pari modo de illo. Syluest. R. o. aurea tract. 3. de quae. impertinentibus, casu 19. Caiet. & Palac. in summa verb. hora, vbi Ar. n. 1. Nicua in summa tit. 68. Iosephus Angles floribus quae. theolog. unat. de restit. vbi de clericis restitutioni obnoxii, fol. 202. 203. Sandoval lib. de offic. canonico 5. p. cap. 5. Cord. summa quae. 186. Briareth quodlib. 4. proposit. 4. Nauarr. cap. quando, Lat. & Hisp. cap. 7. num. 28. 29. & summa Lat. & Hisp. cap. 25. num. 103. Hanc etiam tenent communiter recentiores Magistri, & alij. Et haec sententia est probabilior. Solutiones ad argumenta prima sententiae habes infra dub. 76.

Hinc fit, quod si beneficiarius merè gratis confert fructus alteri, ut si parentes, vel eius consanguinei ex eius voluntate fructus percipiunt, teneatur recitare, quia ipse censetur recipere, cum eius voluntate, & nomine alter capiat. Sic tenent omnes, & specialiter Nauarr. Cord. Sotus, Ledesm. vbi supra. Palacios 4. dist. 15. dist. 9. fol. 144.

DVBIVM LXXII.

An beneficiarius, qui fructus beneficii non percipit, quia non residet, & solum fructus dantur residentibus, teneatur ad horas.

HAc in re certum est, quod si contra ordinem iuris non residet, teneatur recitare, quia per ipsum stat, quo minus fructus percipiat, & sua est culpa non residere. Sic omnes Doctores citandi, & citati in dub. pro accedenti pro tertia opinione.

At difficultas est, an quando non residet ex legitima causa, & secundum ordinem iuris, ut si scholasticus causa studij non residet, & cum legitima licentia, & ideo fructus non percipiat, teneatur recitare. Duplex est sententia.

1. Prima docet, hunc teneri recitare. Ratio, quia per eum stat, quo minus fructus percipiat, cum verè possit residere. Sic Soto lib. 10. de iustit. quae. 5. art. 3. vers. Pari modo de illo, vbi haec dicit, quando quis priuatur fructibus, quia non residet, teneatur recitare, & non distinguit, an ex causa legitima non residet. Idem Palud. 4. dist. 15. quae 5. num. 15. Turrecem. cap. 1. dist. 91. num. 19. Cordub. summa quae. 186. vers. lo tertio. Ledesm. 2. 4. q. 16. art. 4. dub. 5. Nauarr. summa Lat. & Hisp. 25. n. 103. & cap. quando, Lat. & Hisp. cap. 7. num. 28. idem multi docti recentiores.

2. Secunda sententia docet, hunc non teneri recitare. Ratio, quia obligatio recitandi in beneficiario non est, nisi propter sustentationem datam, sed Ecclesia priuat hunc iure proximo recipiendi sustentationem, & hoc absque sua culpa, & cum legitima licentia, & causa iure expressa; ergo. Ita Angelus verbo hora, num. 4. Gregor. Lopez l. 34. vers. ubi de dezir. tit. 6. part. 1. & hanc sententiam dicunt fortè esse veram, Tab. verbo hora, num. 3. Syluest. ibi quae. 2. dicto 3. Hanc tenuit P. Enriquez, vt reulit quidam doctus neotericus in suis scriptis. Et haec videtur mihi probabilior, & amplectenda.

DVBIVM

DVBIVM LXXIII.

An beneficiarius, qui fructus beneficii non percipit, eo, quod est excommunicatus, irregularis, vel suspensus, teneatur recitare.

DVplex est sententia.

1. Prima docet, non teneri recitare. Ratio, quia nequeunt tales percipere fructus beneficii. Hanc tenet Briareth quodlib. 4. propositione 5.

2. Secunda sententia docet, teneri hos recitare. Ratio, quia suspensus, & irregularis ante sententiam iudicis non amittunt beneficium, nec beneficii redditus, vt habes supra dub. 14. & 15. excommunicatus vero potest consequi fructus beneficii, cum per ipsum stet, quominus absoluaatur, & sic eos consequatur. Si vero, facta diligentia, per ipsum non stet, quominus absoluaatur, non perdit beneficii fructus, vt habes supra dub. 11. Hanc tenet Soto lib. 10. de inst. 9. 5. art. 3. vers. Pari modo de illo, vbi hoc docet de excommunicato. Idem de excommunicato docet Iosephus Angles floribus, q. rheolog. 2. p. materia de restit. vbi de clericis restitutione obnoxii, fol. 208. Couart. 3. var. cap. 13. n. 8. vers. 12. vbi refert pro eadem sententia Card. Gigas, Decimus, Albertum de Ferrariis, Ioannem de Lignano, & quidam docti recentiores. Idem tenent de irregulari suspensus, & excommunicato, Cord. summa, quae. 186. Turrecem. referens Rayner. Gofr. & Hostiensis cap. 1. dist. 91. num. 11. idem tenet Palud. 4. dist. 15. quae 5. num. 15. vbi haec dicit: si postquam beneficiarius praebendam adeptus est, totum emolumentum perderet, teneatur recitare. Et haec sententia, tanquam verissima, est tenenda.

3. Nota, hanc conclusionem non tantum esse veram de iure excommunicato, sed etiam de iniuste, quia hic potest absolui, & post absolutionem recuperare fructus eius temporis, quo inique est excommunicatus, vt habes dicto dub. 11. Sic Con. vbi supra, & fauent reliqui citati; absolute enim dicunt, beneficiarium excommunicatum teneri ad horas: nec distinguit, an iniuste, vel iniuste sit excommunicatus. Idem tenuit P. Enriquez a me consultus.

4. Secundo nota, si per irregularitatem, vel depositionem, vel alio modo ex toto quis amitteret beneficium, ita, quod defineret esse beneficiatus, non teneretur recitare. Ratio, quia, cessante causa, debet & effectus cessare. Sic Cord. Couart. Palud. vbi supra. Turrecem. cap. 1. dist. 91. n. 19. Nauarr. cap. quando, cap. 7. num. 20. & alij. Hinc

5. Infertur, si aliquis recipiat beneficium per simoniam, vel existentem excommunicatus, vel irregularis, vel non habens legitimam aetatem, vel in alio casu, in quo collatio est nulla, non tenetur recitare, quia non habet titulum verum beneficii, nec facit fructus suos. Sic quidam neotericus valde doctus, qui sic resolutum fuisse Salmanticæ à Patribus Societatis dicit, & bene aduertit, quod, si hic deberet petere in his casibus reuaditionem, & fructuum compositionem, si non recitauit, debet etiam explicare illam conditionem in compositione, aliàs tenebitur iterum componere se de fructibus, ob illam causam.

DVBIVM LXXIV.

An beneficiarius, qui esset suspensus à beneficio ad tempus, v.g. damnatus per iudicem, ut non acquireret fructus vnius anni, an illo tempore teneatur ad horas.

DVplex est sententia.

1. Prima dicit, teneri recitare. Probatum, quia per ipsum stetit non facere fructus suos, siquidem ob culpam suam damnatus est. Item, quia ipsa punitio iudicis videtur supponere, quod reciteret, quia est poena, quam infert, scilicet priuare illum suis fructibus, vt autem fructus sint sui, debet recitare. Hanc tenent Palud. 4. dist. 15. quae 5. num. 15. & Turrecem. cap. 1. dist. 91. num. 19. vbi haec dicunt, si beneficiarius postquam adeptus est beneficium, totum emolumentum perdat, teneatur ad horas. Idem tenuit quidam doctus neotericus in suis scriptis.

2. Secunda docet, hunc non teneri recitare. Ratio, quia, licet culpa sua fuerit damnatus; at vbi damnatus est, iam non stat per ipsum, quominus fructus recipiat: nec sententia iudicis supponit, ipsum recitare, & facere fructus suos; sed in hoc consistit sententia, vt perdat ius ad illos fructus, qui debebant esse sui, & quos poterat lucrari recitando. Item, quia, si in perpetuum priuaretur fructibus, durum esset illum obligare ad horas; ergo nec, si priuaretur ad tempus, est obligandus pro eo tempore. Pro hac sententia faciunt Doctores supra dub. 71. citati, qui dicunt, non teneri recitare, qui fructus beneficii non potest acquirere. Et Briareth quodlibet 4. propositione 5. & tenuit expressè P. Enriquez, vt reulit quidam doctus recentior in suis scriptis. Et haec sententia est probabilior.

DVBIVM LXXV.

An si statuto, vel consuetudine, vel alio privilegio, ut sit in aliquibus Ecclesiis Hispania, vel Germania, introductum sit, vt primo anno nil penitus percipiat Canonicus, vel beneficiarius, licet seruiat, teneatur talis eo primo anno recitare.

Responderetur id abrogasse Pium Quintum per Extravaag. quae incipit, Dudum, editam anno 1570. Sed, si aliqua Ecclesia noluit eam recipere, excusantur noui beneficiarij à recitando, quia, cum non possint sine impensis magnis, & lite contra suam Ecclesiam fructus obtinere, satis videtur, non posse tales fructus recipere; si tamen expensae non essent tantae, & ij alia de causa contra suam Ecclesiam litigarent, non excusarentur à recitando, quia in illis cessaret reuerentia, quae à litigando contra suam Ecclesiam retraheretur. Sic Nauarr. cap. quando, latine cap. 7. num. 30.

DVBIVM LXXVI.

An, quando aliquis habet beneficium litigiosum, & ideo non percipit fructus, teneatur recitare.

NOta, hoc dubium agitari posse in duplici casu; alter est, quando lis oritur ante adeptum beneficium

V 4

beneficij possessionem: alter vero, quando oritur post adeptam beneficij possessionem.

Triplex est sententia.

Prima absolute docet, eum, qui non est in pacifica beneficij possessione, & ideo fructibus non potitur, non teneri recitare: unde videtur loqui, etiam post adeptam beneficij possessionem, quando ea non est pacifica. Sic tenet Palacios in summa, verbo hora. Turceer, cap. 1. dist. 91. num. 19. & Palud. 4. dist. 15. quest. 5. art. 1. num. 15. quem refert, & approbat Sorot, licet brevissime, lib. 1. de inst. g. 5. art. 3. versio. Pari modo de illo. Et hanc sententiam videtur etiam tenere Sandoual lib. de officio canonico, p. 6. cap. 14. saltem quoad restitutionem, quia dicit, quod beneficiarius omittens horas, non tenetur restituere, nisi post sex menses, qui debent numerari ab obtenta pacifica beneficij possessione.

Secunda sententia absolute dicit, quod, si ante possessionem veniat lis, quando nulli litigantium conceditur possessio, nullus tenetur ad horas. Sic tenet Palacios 4. dist. 15. dist. 9. fol. 144. Idem tenent aliqui, qui vt refert Nau. cap. quando, Latine cap. 7. num. 29. putant, non teneri beneficiarium recitare per solam beneficij collationem, donec apprehendat possessionem beneficij, vel per eum sicut, quominus apprehendat, quia putant non posse beneficiarium capere fructus beneficij per solam collationem, donec possessionem apprehendat.

Tertia sententia docet oppositum, quae amplectenda est, & claritatis maioris gratia explicabitur aliquibus conclusionibus. Sic

Prima conclusio. Qui provisioni, vel collationi beneficij sibi factae nondum consensit, non tenetur ad horas. Ratio, quia nondum beneficium est suum. Conclusio est certa, & eam docet Nauar. cap. quando, Lat. cap. 7. num. 29.

Secunda conclusio. Quando lis aduenit ante possessionem beneficij, licet beneficiarius nondum acceperit possessionem, nec possit illam accipere, tenetur recitare, quando verisimile est pro ipso ferendam esse sententiam; quia habita sententia, fructus sequestrati, aut ab aduersario percepti, sunt ipsi restituendi: fructus enim percepti post litem, saltem contestatam, debentur vero beneficiario, si vicerit, vt probat Nauar. vbi supra. Item, quia iam hic habet titulum, & beneficij collationem: at per solam collationem ante possessionem acquiritur beneficij dominium, vt expressè habetur cap. si tibi absenti, & cap. penultimo, de praebendis, in 6. & sic à die collationis fructus debentur ipsi beneficiario; fructus enim debentur domino, cap. grauis, de restit. spoliat. quod inde etiam conikat, quia mortuus prouiso ante quassitam beneficij possessionem, vacat illud per eius mortem, per tradita à Felino in rubric. de constit. mun. 5. & confirmatur amplius, quia, si quis habet iam legitimam beneficij collationem, & superior nolle ei iniuste dare possessionem, fas esset, data pecunia redimere vexationem, quod fas non esset, nisi per collationem acquireretur plenum ius in beneficio. Hanc conclusionem contra primam, & secundam sententiam tenet Nauar. cap. quando, Hisp. cap. 7. num. 28. & melius Lat. eodem mun. & num. 29. & summa Hisp. & Lat. cap. 25. num. 101. 104. Cord. summa, quest. 186. §. La quarto se sigue. Pro eadem sententia est Caiet. verbo hora, in prin-

cipio, vbi haec dicit, beneficiarius non tenetur recitare, si non potest habere beneficij possessionem, ac fructus nisi postmodum ei fructus dandi sint, quominus pro tunc actuali perceptio fructuum sit impedita. Pro eadem videtur esse Ledelm. 2. 4. quest. 16. art. 2. dub. 5. conclus. 6. vbi haec dicit, beneficiarius, qui modo non recipit fructus, at easdem in posterum recipit tenetur recitare, vt cum fructus sunt sequestrati, quia est lis inter partes, si quis habet iustitiam, tenetur recitare. Haec etiam tenent nonnulli docti recentiores.

Tertia conclusio. Quando non est verisimile pro ipso beneficiario, qui habet collationem, ferendam esse sententiam, sed lis sit in aequilibrio constituta, non tenetur recitare. Ratio, quia probabiliter est dubius, & in aequilibrio, a beneficiario sit suum, & fructibus eius sit potiturus, & in dubio, an percipiet commodum, non est ad onus astingendus. Hanc tenent expressè auctores pro prima sententia allegati, & videtur tenere Caiet. Nauar. Cord. vbi supra; dicunt enim habentem beneficium litigiosum teneri recitare, quando, habita sententia, fructus sequestratos debet obtinere. Vbi videtur supponere, debere esse magnam spem, & probabilitatem obtinendi. Idem videtur tenere Ledelm. vbi supra; dicit enim, illum, qui habet iustitiam, teneri recitare: vbi videtur supponere, requiri esse iustitiam verisimilem. Hanc tenent quidam docti iuniores.

Quarta conclusio. In aliquibus beneficiis est vera secunda sententia, in illis scilicet beneficiis, vt in canonicatibus, in quibus non potest beneficiarius aliquid de fructibus percipere ante possessionem acceptam; in his enim non tenetur ad recitandum per solam collationem, donec apprehendat possessionem, vel per eum sicut. Ratio, quia in his incipit ius ad fructus beneficij à die possessionis adeptae. Sic Nauar. cap. quando, Latine cap. 7. num. 29.

Quinta conclusio. Quando lis aduenit post possessionem beneficij adeptam, tenetur possessor recitare, licet iudicis autoritate fructus referentur, seu sequestrantur vsque ad litem finitorem. Ratio, quia tunc obtentiones, vel manalia, sunt possidenti, si beneficio inieruat, Sic Palacios 4. dist. 15. dist. 9. fol. 144.

Vltima conclusio. Quando lis aduenit post possessionem adeptam, & beneficium nullum habet seruitium, vt si est praestimonium, Hispanè prestamera, & sic fructus omnes sequestrantur, nulla parte possessori relicta, iudicandum est, an hic tenetur recitare, sicut, quando lis aduenit ante possessionem, iuxta dicta in 2. & 3. conclusionibus, & videtur de mente auctorum, quos ibi citauimus.

DVBIVM LXXVII

An, quando auctoritate Papae datur alicui tantum titulus beneficij, & alteri referuntur fructus, ille, qui habet titulum sine fructibus, teneatur ad horas.

Triplex est sententia.

Prima dicit, teneri hunc recitare: quod potest probari argumentis supra dub. 71. adductis pro prima opinione. Item, quia beneficium non debet defraudari recitatione horarum; sed in hoc casu non tenetur recitare pensionarius: ergo tenetur habens titulum. Hanc sententiam, vltra Doctores

dicto dub. 71. citatos, tenet Nauar. cap. quando, Lat. cap. 20. num. 15. & cap. 21. Lat. n. 12. (mutat enim sententiam, quam habuit Hispanè.) Idem Palacios 4. dist. 15. dist. 9. fol. 144. & explicant, teneri hunc recitare, licet omnes fructus, & seruitium beneficij referuntur alteri; & eorum ratio est, quia Papa non referat seruitium sine consensu beneficiarij, & sic per ipsum stat. At dicit Nauar. succedentem in eo beneficio, cui omnes fructus, & administratio tota reseruat fuit ex praedecessoris sui consensu, non teneri recitare, quia per ipsum non stat nullos fructus capere.

Secunda sententia absolute dicit, eum, cui auctoritate Papae referuntur omnes fructus, non teneri recitare. Ratio, quia nullos potest fructus percipere. Sic Sorot lib. 10. de inst. quest. 5. art. 3. versio. Pari modo de illo. Palacios in summa, verbo hora.

Tertia sententia docet, quando beneficium habet annexam aliquam administrationem in Ecclesia, cuiusmodi est beneficium curatum, Canoniciatus, & portio, & communiter quodcumque aliud à praestimonio, si auctoritate Papae referuntur solum fructus, qui dicuntur grossa beneficij, Hispanè la gruesa del beneficio, & non referuntur seruitium, vel distributiones, qui habet titulum, tenetur recitare: si vero auctoritate Papae est expressè reseruat seruitium, & distributiones, & omnes fructus, non tenetur, qui habet titulum, recitare. Probatur prima pars, quia ille habens titulum potest exercere administrationem in Ecclesia, & habere stipendium correspondens illi: quando enim Papa absolute referat fructus, fructus intelliguntur, qui reliqui sunt deductis oneribus. I. fructus ff. solut. mar. cum notatis ibi, & per Felinum cap. ad nostram, de iure iur. Probatur secunda pars, quia talis nec habet, nec potest habere aliquos fructus. Hanc tenent Cord. summa, q. 186. Sandoual lib. de offic. canon. cap. 5. Nauar. summa Hisp. & Lat. cap. 25. num. 104. & cap. quando, Hispano cap. 7. num. 29. & cap. 20. num. 19. & nonnulli docti recentiores.

Sic conclusio. Haec tertia sententia est probabilior, & amplectenda. Hinc

Inferitur, quod quando beneficium nullam omnino habet administrationem, quale est praestimonium, si auctoritate Papae referuntur omnes fructus, qui habet solum titulum, non tenetur recitare, quia tunc nullos fructus potest percipere. Et in his est vera sententia secunda Sorot. Ita tenetur dicere auctores tertiae sententiae, & tenere quidam docti neoterici.

Secundo inferitur, quod, quando auctoritate Papae sunt referati alicui fructus pro pensione, & habens solum titulum beneficij est inhabilis ad inferendum illi beneficio, quia, v.g. nondum est sacerdos, nec potest esse pro illo tempore, vel defectu aetatis, quia dispensatum est forte cum eo in aetate solum ad beneficium, & non ad sacerdotium, vel quia spectat quatuor tempora, vt possit promoveri ad sacerdotium, hic non tenetur recitare; quia nec potest acquirere fructus principales, nec fructus seruitij, nec per ipsum stat. Sic nonnulli docti recentiores in suis scriptis. Et in hoc licet dubius, magis propendet Nauar. e. quando, Hisp. cap. 7. num. 25. sine, licet cap. 20. Hisp. n. 20. sententia oppositum.

Vltimo inferitur eum, qui habet beneficium inter haereticos, & non potest habere redditus, non

teneri recitare; quia nec percipit, nec potest percipere fructus. Sic praedicti recentiores, & Toleus in summa.

Tandem soluenda sunt argumenta primae sententiae. Ad primum, quod positum est supra dubio 71. in prima opinione responderetur, quod, cum hoc fiat auctoritate Papae, non est illi imputandum, sed potius videtur, quod Papa priuandum illum fructibus omnibus, consequenter absoluat eum ab obligatione recitandi. Et ad id inconueniens, quod inferitur, scilicet quod nec teneretur ad ministerium, quod exigit illud beneficium in Ecclesia, responderetur, quod si Papa referat omnes fructus, & administrationem in Ecclesia, habens titulum ad nihil tenebitur; si vero solos fructus, tenebitur ad administrationem, & ad recitandum; quia iam recipiet aliquos fructus pro illa administratione, vt diximus.

Ad secundum argumentum ibi positum respondetur negando antecedens, sed tantum acceptat titulum cum onere, quod habet titulus ex se; at titulus solus beneficij non habet onus recitandi, sed ratione fructuum.

Ad aliud argumentum in praesenti dubio positum pro prima opinione patebit ex dicendis dubio sequenti.

DVBIVM LXXVIII

An in his casibus, quibus dubio praecedenti diximus, quod habens solum titulum beneficij non tenetur recitare, teneatur ad horas canonicas pensionarius ille, qui recipit fructus.

Triplex est sententia.

Prima docet, quod, quando habens solum titulum sine fructibus referatur alteri in pensionem, non tenetur recitare, iuxta dicta dub. praecedente, tenetur recitare horas canonicas pensionarius, cui illi fructus referati sunt. Ratio, quia aliqui debent teneri ad recitandum ratione illius beneficij, ne beneficium hac obligatione, quam causat, defraudetur: sed in hoc casu non tenetur habens titulum, ergo tenebitur pensionarius. Sic Nauar. cap. quando, Hisp. cap. 7. num. 30. Cord. summa q. 186. §. la tercera opinion. Idem tenuit P. Enriquez à me consultus.

Secunda sententia docet, quod, quando illud beneficium habet aliquam administrationem, seu residentiam in Ecclesia, & referuntur fructus, & illa administratio habenti titulum, tenetur ille recitare, cui referuntur seruitium, siue sit ipse pensionarius, qui seruit, siue alter, quia hic administrator recipit stipendium beneficij, & titulo ecclesiastico, non beneficiati, sed administratoris: si vero beneficium nullam administrationem, vt praestimonium, non tenetur recitare habens titulum sine fructibus, nec pensionarius, cui referati sunt auctoritate Papae illi fructus; quia hic est merè pensionarius sine titulo ecclesiastico beneficiati, vel administratoris. Hanc tenuit quidam valde doctus neotericus in suis scriptis.

Tertia sententia expressè reprobatur primam, & secundam, & docet, quod, quous auctoritate Papae referuntur omnes fructus pro pensione, & etiam seruitium, non tenetur recitare, qui habet merum titulum, nec etiam pensionarius, nec ille qui

qui habet seruitium beneficij, siue sit p̄sonarius, siue alter, qui habet tale seruitium sine titulo beneficij, & sic in nullo casu admittit pensionarium tenenti ad horas canonicas. Probat, quia cum obligatio recitandi horas canonicas sit de iure positio, non est alicui imponenda, nisi in casibus, in quibus ipsum ius obligat; sed non obligat ius ad recitandum illum, qui non est Religiosus, vel ordinem sacrum habet, vel beneficium: at in p̄senti casu hic pensionarius etiam si habeat administrationem, vere nō habet beneficium; ergo non est obligandus. Et confirmatur, quia si curatus aliquis ex licentia Prælati substitueret aliquem, qui ministraret beneficio, & ratione ministerij acciperet manualia, vulgò *el pie de altar*, nullus obligabit illum ad recitandum ratione illius administrationis, & ratione illorum fructuum: cuius signum est, quia si non recitaret, non compelleretur hos fructus restituere; ergo. Item quia Pontifex summus separans omnes fructus à beneficio, videtur dispensare, vt nullus recitet pro illo beneficio, nisi expressè det titulum, vel fructus, exprimens velle alterum ad recitandum obligari: quod potest facere, cum obligatio recitandi sit de iure positio. Et voluit Papa contentus esse alio seruitio, quod præstat, vel præstitit pensionarius æquiualens horis, ob quod talis pensio est illi concessa. Hanc tenent quidam valde doctus neoterici in suis scriptis, & videtur ipsi multò probabilior ceteris.

DVBIVM LXXIX.

An, qui plura habet beneficia, teneatur toties horas canonicas recitare, quot beneficia habet.

Dvplex est sententia. Prima docet eum, qui iuste obtinet plura beneficia, scilicet ex iusta dispensatione, non teneri, nisi semel, recitare; quia dispensatio videtur ex pluribus illis beneficiis facere vnum, at qui iniuste plura obtinet, teneri toties recitare quotidie horas canonicas, quot beneficia habet. Ratio, quia quodlibet beneficii per se obligat ad recitandum, & in hac obligatione per nullum dispensatum est (quando enim iuste illa habet Pontifex, qui in pluralitate disp̄sat, dispensare videtur, ne pluries recitet); ergo. Et confirmatur, quia alias defraudaret illa beneficia horarum recitatione, ad quam singula obligant, & plures ministri, qui illa beneficia debent habere, singulas horas canonicas singuli erant recitaturi. Hanc tenet Palud. 4. dist. 15. q. 5. n. 13. Nauarro c. quando, Lat. c. 22. n. 62. 63. Auctor summæ virtutum, & vitiorum, tomo 2. c. 21. §. que faciunt ad plarium beneficiorum detractionem, in tertio quod facit, in sine illius, Guillelmus Parisiensis, quem refert, & sequitur Dionys. Carthus. in opus. lib. 2. c. contra pluralitatem beneficiorum, art. 17. & lib. 2. c. de vita Canonicorum, art. 22. sub finem. Atque hanc sententiam probat late, & optime Suar. de Religione lib. 4. de horis canonicis, c. 18. n. 17. vbi ait, esse ita indubitata consuetudine receptum, vt non possit in moralem dubitationem adduci. Fauent etiam alij, qui questionem hanc disputantes dicunt, cum, qui iuste plura habet beneficia, non teneri ad pluries recitandum: vbi videntur oppositum innuere in habente plura beneficia in-

iuste Hi sunt D. Th. quodlib. 1. art. 13. Ricard. quodlib. 2. q. 26. Driedus lib. 2. de libertate Christiana c. 4. Secunda sententia docet, eum, qui plura habet beneficia, etiam iniuste, non teneri, nisi semel recitare quotidie horas canonicas. Probat, quia hic est vnus tantum minister, & quando plures rationes obligandi ad recitandum concurrunt in vnico ministro, non obligant illum, nisi ad semel recitandum, vt plures ordines facti, scilicet subdiaconatus, diaconatus, & sacerdotium, vel ordo sacer, & beneficium, licet inique susciperentur, non obligant, nisi ad semel recitandum. Hanc tenent Palacios 4. dist. 15. dist. 9. fol. 147. & Suar. supra num. 10. & videtur mihi multò probabilior.

DVBIVM LXXX.

An scholasticus beneficiarius existens in studio, vel ex alia causa absens teneatur ad officium defunctorum, quod in sua Ecclesia dicitur.

Nota, quod officium defunctorum quando in Ecclesia dicitur, sicut ordinariè pertinens ad Ecclesiæ officium, sicut in tota Ecclesia in die defunctorum: & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo, vt, quod dicitur semel in hebdomada, &c. Aliquando verò dicitur officium defunctorum in Ecclesia extraordinariè propter aliquam causam emergentem, vt ad preces alicuius personæ, vel ad sepeliendum defunctum, &c.

Prima conclusio. Ad officium defunctorum, quod ordinariè dicitur in Ecclesia, teneatur Clericus beneficiarius etiam existens in scholis. Ratio, quia recipit stipendium pro illo. Sic D. Th. quodlib. 6. art. 8. Arm. verbo hora, n. 3. Syluest. q. 6. Driedo lib. 2. de libertate Christ. c. 4. Turrec. c. 1. dist. 91. n. 21. Nauarro c. quando, Hisp. & Lat. c. 10. n. 34. Sandoval lib. de offic. canon. 1. p. cap. 6.

Nota hæc, quod, si Ecclesia illa non dicit illud officium ex dotatione aliqua, elemosynâ ad hoc relicta, sed tantum ex consuetudine, si beneficiarius recitat iuxta Breuiarium Pij Quinti, non tenetur ad illud, iuxta alibi dicta.

Secunda conclusio. Ad illud verò, quod extraordinariè dicitur in Ecclesia, non tenetur beneficiarius existens in studio, vel alias absens; quia id non est pars officij, nec recipit propter illud stipendium. Sic Turrec. Nauar. ibi, & videtur tenere D. Thom. ibidem.

Vltima conclusio. Similiter non tenetur ad alia suffragia, quæ fierent extraordinariè in sua Ecclesia, præter eadem ratione. Sic Turrec. ibidem.

DVBIVM LXXXI.

An clericus beneficiarius, qui non recitant horas canonicas, teneatur fructus ex beneficio perceptos restituere, stando in solo iure naturali, ante decretum Concilij Lateranensis.

Dvplex est sententia. Prima dicit, teneri restituere, etiam stando in iure naturali. Probat, quia beneficium datur propter officium, cap. fin. de rescript. in 6. Sed officium maxime propriu clericis est recitare horas canonicas; ergo, qui id non præstat, tenetur iure naturali

naturali restituere, quod illi datum est propter hoc. Sic Sotus lib. 10. de iust. q. 5. art. 6. Couarr. lib. 3. var. cap. 13. n. 10. Iulius Clarus præf. crimin. lib. 5. §. fin. q. 73. vbi pariter etiam. Calderinus c. 1. de celebrat. Missæ. Dominicus c. fin. de rescript. in 6. & ibi Francus, n. 4. Bald. l. 1. C. de his, quibus vt indig. in 1. Iason l. frimarios, C. de testam. milit. n. 6. Decius cap. omnes, de consuet. Ripa l. finali, C. de reuocand. donat. q. 66. Ang. verbo hora, n. 11. Adr. 4. materia de rescript. an clericus teneatur restituere, quod ultra vñctum de redditibus beneficij consumpsit, vers. Pro responsione. Et hanc sententiæ tuiorem glossa pragmatica sanctione, tit. qualiter hora canonicæ sint dicenda. Licet enim fere omnes hi Doctores non explicit, quod iure naturali teneatur beneficiarius non recitans restituere, ad dicit teneri restituere, & non meminere decreti Concilij Later. vnde videntur sentire, ante tale decretum, stando in iure naturali, teneri restituere. Idem tenere quidam docti neoterici in suis scriptis. Idem de habentibus beneficium simplex tenet Nauarra lib. 2. de rescript. c. 2. num. 197. locus de curatis, quia habent alia ministeria; & cum Nauarra tenet Aragon 2. 2. quæst. 83. art. 13. fol. 867.

Secunda sententia dicit, quod, stando in iure naturali, & sedulo decreto Concilij Lateranensis, non tenetur restituere fructus beneficiarius non recitans. Probat, quia nullus textus id præcipiat, & nulla est ratio id conuincens: quod enim beneficium datur propter officium, id non conuincit, quia respondet optimè Sylu. vbi infra, primò, quod beneficium non datur simpliciter, & omnino propter officium, sed etiam, vt clericus assumptus in partem Domini de patrimonio Domini viuat, & non mendicet. c. Diaconi 93. dist. 8. c. 2. de præbendis. Item, quia non solum horæ canonicæ sunt officium, propter quod datur beneficium, sed ministratio sacramentorum, consiliorum, & verbi Dei, & decantatio diuinorum tempore, quo populus confititur, & denique, vt beneficiarius celebret, & faciat cetera ordinis sacerdotalis. Item, quia beneficium non datur propter officium, ita vt propterea impotet conditionem, sed importat modum, & sic, illo non adimpleto non sunt restituendi fructus. Hanc tenent Præpositus in summa 44. Driedo lib. 2. de libertate Christ. c. 4. paulò post principium. Nauarro c. quando c. 7. n. 31. & c. 10. Hisp. n. 37. & Lat. c. 21. n. 58. Syluest. verbo hora, in sine. & verbo clericus, q. 23. Panor. & Card. c. 1. de celebrat. Missæ. Felinus c. postulasti, de rescript. n. 7. Rosel. Clericus 4. n. 23. Tab. beneficium 3. n. 11. & verbo, restitutio, n. 19. Arm. verbo, beneficium, n. 69. & verbo, Clericus, n. 27. D. Anton. 2. p. tit. 2. c. 4. sine, & plures alij Doctores, quos refert Syluest. vbi supra, dicens, esse fere omnium. Et hæc est communis sententia, vt docet Couarr. vbi supra. Idem tenere nonnulli valde docti recentiores. Et hæc sententia est probabilior.

DVBIVM LXXXII.

An, post Concilij Lateranensis decretum, & motum proprium Pij Quinti, beneficiarius non recitans teneatur fructus beneficij restituere.

Nota, in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. §. statuimus, sic haberi. Statuimus, quod

quilibet habens beneficium cum cura, vel sine illa, si post sex menses ab obtento beneficio officium diuinum non dixerit, legitimo cessante impedimento, beneficium suorum fructus suos non faciat pro rata omnium recitationis officij, & tempore, sed eos, tanquam iniuste perceptos, in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum elemosinas erogare teneatur, si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima procedente mentione, beneficium priuatur, intelligatur vero officium amittere, quo ad hoc, vt beneficium priuari possit, qui per quindecim dies illud, saltem bis, non dixerit. Hæc ibi.

Hoc dubium variè sunt sententiæ: quidam enim dicunt decretum hoc non esse vñ receptum, & sic ex vi illius non obligari beneficiarios non recitantes restituere fructus. Sic nonnulli valde docti recentiores Magistri in suis scriptis. Et Simancas lib. de instr. carbol. tit. 9. num. 208. dicit, dubitari probabiliter posse, an hæc pena obliget omnino in foro conscientie, quia hoc decretum vñ non est receptum, & paucis innouit. Et Sotus lib. 6. de iust. quest. 1. art. 6. ad 1. dicit, nondum plane sciri, an fuerit vñ receptum.

Alij verò dicunt statum in hoc decreto magis videri penam, quæ iuste à Prælati imponi potest, quam, vt quis ad eam per se teneatur. Sic Petrus Soto lib. de instr. sacerdotum, vñ, de vita sacerdotum, sect. 4. vers. nec illud. Et non abhorret ab hoc Medina lib. 1. instr. confess. cap. 1. §. 11. nam inter solutiones, quas adhibet ad motum proprium Pij Quinti, qui est confirmatio Concilij Lateranensis, altera est, quod est pœnalis, & sic obligat post iudicis sententiam.

Alij verò dicunt, decretum Concilij Lateranensis obligare, sed non eo rigore, quo sonat; non enim tam rigide vñ receptum est. Vnde beneficiarius, qui vna, vel duabus diebus non recitat, non est cogendus ad fructuum restitutionem, qui correspondet illi diei, quia beneficium non tantum datur pro horis recitandis, sed etiam pro alijs officiis: quando verò orandi omisso vltèrius procederet, tenetur restituere fructus. Sic docent Sotus lib. 10. de iust. q. 5. art. 6. Menochius lib. 2. de arbitr. iudicij, centuria 5. casu 429. Eiusdem sententiæ videntur esse Couarr. lib. 3. var. c. 13. n. 10. & Salcedo in addit. ad c. 49. præf. crim. Bernardi Diaz. nam referunt hanc sententiam Soti, & non improbant, vnde illam videntur approbare. Immo Medina vbi supra dicit, quod beneficiarius, qui alia habet munia præter horas, vt epellanus, qui aliquot sacra facere tenetur, vel parochus, qui tenetur ministrare sacramenta, si toto anno alia obicit ministeria, & recitet, ex hoc quod octo, vel decem diebus omittat recitare, non est compellendus ad aliquam restitutionem.

Secundò dicunt aliqui auctores huius sententiæ, quod beneficiarius non recitans per primos sex menses ab obtento beneficio, tenetur restituere fructus beneficij, sicut non recitans post sex menses, etiam stando in verbis ipsius Concilij Lateranensis: & probant primò, quia si Concilium intelligat (vt alij volūt) quod vsque post sex menses non cogatur beneficiarius non recitans restituere fructus, videtur nimia relaxatio. Item, quia non bene coheret verba sequentia eiusdem Concilij cum præcedentibus; habet enim prius, quod qui post sex menses ab obtento beneficio non recitauerit, pro rata restituat. Postea verò subditur: si vero ultra dictum

dicitur tempus in simili negligentia consumaciter per- manserit, &c. Ergo hæc vltima verba, in simili negligentia, aperte denotant negligentiam priorem sex mensium obligare ad restitutionem pro rata, quandoquidem post illos adhibet maiorem penam, scilicet priuationis beneficij. Vnde sensus Concilij est, quod, qui per sex menses non recitauerit, teneatur tantum fructus restituere, at post sex menses, si adhuc non recitauerit, possit priuari beneficio. Sic Sotus, & Menochius ubi supra.

6 Alij verò decretum Concilij Lateranensis rigide intelligunt, & dicunt, post primos sex menses ab obtento beneficio beneficiarium non recitantem etiam vna die, teneri fructus restituere pro rata Ratio, quia ita dicit aperte Concilium Lateranense. Sic Nauarr. cap. quando, c. 7. n. 32. & summa Hisp. & Latina c. 25. n. 221. Iosephus Angles floribus quasi, theolog. 2. p. materia de Clericis restitutioni obnoxii, fol. 199. Sandoual lib. de offic. canon. 5. p. c. 5. Aragon 2. 1. q. 83. art. 13. fol. 86. Idem Nauar. lib. 2. de restit. cap. 2. num. 183. & alij.

7 Secundo dicit hæc sententia, quod qui non recitat intra primos sex menses ab obtento beneficio, licet peccet mortaliter, non tamen teneatur ad aliquam fructuum restitutionem. Ratio, quia Concilium expresse dicit, si post sex menses. Sic Sandoual ibidem. Nauarr. c. quando, cap. 10. Hisp. n. 38. Lat. n. 57. & summa Hisp. cap. 28. addit. ad n. 124. cap. 25. Nauarra ubi supra n. 184. Aragon ibi, dicit tamen fol. 868. quod iure naturali teneatur beneficiarius simplex etiam eo tempore omittens horas, restituere, non verò curatus.

Pro solutione huius dubij fit

8 Prima conclusio: Decretum Concilij Lateranensis citatum, est seruandum tanquam vsu receptum, & sic beneficiarij non recitantes horas canonicas sunt, secundum illud, obligandi ad fructuum restitutionem. Quod, licet ante constitutionem Pij Quinti non esset ad eod certum, iam tamen post illam nequit sub dubium cadere, vt constat ex conclusione 3. subicienda. Sic Nauarr. locis citatis, dicens, se vidisse practica receptum esse hoc decretum. Sandoual, Iosephus, Angles ubi supra. Idem tenet & late probat Suar. de Relig. lib. 4. de horis canonicis c. 30. a. num. 2. vbi addit, saltem post constitutionem Pij Quinti, dubitari non posse de vigore illius. Couarr. ubi supra, Cord. summa q. 33. Castro lib. 2. de lege penali, cap. 5. argumento 9. & pro eadem videntur esse sententia Bernardus Diaz practica crimin. c. 49. & Gregor. Lopez lib. 4. tit. 6. part. 1. versio. in la. Tellefia. vbi referunt hoc decretum tanquam vim habens, & non dicunt, non esse vsu receptum. Idem tenent Sotus, Menochius, Salzedo ubi supra, non enim negant, esse vsu receptum, & obligare hoc decretum; immò dicunt, obligare, pie tamen interpretantur illud. Idem nonnulli docti recentiores in suis scriptis.

9 Secunda conclusio Qui per primos sex menses ab obtento beneficio, sine culpa omittit recitare, peccat mortaliter; at non teneatur ad aliquam fructuum restitutionem. Probat, quia aperte id dicit dictum decretum Concilij. Item, quia Pius Quintus in quodam motu proprio, quo explicuit dictum decretum Concilij Lateranensis, quem refert Nau. summa Lat. c. 25. n. 122. cum dixisset, beneficiarium non recitantem post sex menses teneri fructus restituere, subdit: Ille verò, qui primis sex mensibus non recitauerit, nisi legatum impediens

excuset, graue peccatum intelligit admisisse. Vbi nil dixit de restitutione. Hæc conclusio est contra Sotum, & Menochium supra citatos. Eam docent Nau. Sandoual, & Nauarra ubi supra, & nonnulli valde docti neoterici, etque modo commune placitum.

Nota, conclusionem hanc esse veram, licet teneamus, beneficiarium non recitantem teneri fructus restituere, stando in iure nature; quia Ecclesia, que est creditor, & obligat ad hoc onus, cedit iuri suo quoad restitutionem per primos sex menses. Sic quidam valde doctus recentior in suis scriptis contra Aragon supra.

11 Tertia conclusio. Etiam beneficiarius vno die tantum omitat officium diuinum, immò & vnicam tantum horam canonicam, dummodo integrè omitatur, teneatur restituere pro rata eam partem fructuum, que tali recitationi respondet. Hæc conclusio est contra Sotum, Menochium, Couarr. Salzedo, quos supra citauimus; eam tamen cum communi sententia docet Suar. supra n. 1. aperte conuincens ex verbis Pij Quinti, que ita habent: qui vno, vel pluribus diebus omnes horas canonicas intermisserit, omnes fructus amittat, qui illi, vel illis diebus responderent, si quoridie disiderentur. Et addit Pontifex, quod si beneficiarius non vna die integrum officium prætermittat, pro dimidia officij prætermissa parte restituat dimidiam partem fructuum illi diei correspondentium; dimidiam autem partem officij declarauit esse matutinum, & alias sex horas constituere aliam dimidietatem officij: quas, quia inter se æquales reputauit, ideo pro vniuersis que omissione sextam partem fructuum eiusdem diei amitti declarauit. Cum ergo Pontifex taxet, quid restituendum sit pro dimidia parte officij vnius diei prætermissa, immò, & pro singulis horis, iam dici non potest, excusari ab obligatione restituendi eum, qui vno, vel altero die omittit officium. Rationes verò, quibus Soto, & alij nituntur, satis refutat Suarez supra num. 10.

D V B I V M LXXXIII.

An beneficiarius non recitans teneatur fructus beneficij integre restituere, vel tantum fructus, qui correspondent recitationi, deductis fructibus, quos propter alia beneficij ministeria meretur.

D V Plex est sententia.

1 Prima docet, teneri restituere integros fructus. Probat, quia Concilium Lateranense expresse loquitur de beneficio curato, & de non curato, & dicit, non recitantem teneri restituere fructus pro rata omissionis: at beneficium curatum alia ministeria habet præter horarum recitationem; ergo, sic videtur tenere Nau. c. quando, cap. 7. n. 32. & summa Hisp. & Lat. c. 25. n. 121. 222. absolute enim dicit, non recitantem teneri restituere omnes fructus. Et ita tenet Suar. de Relig. lib. 4. de horis canonicis, cap. 30. num. 6. vbi id late probat ex motu proprio Pij Quinti.

2 Secunda sententia docet, quod non teneatur restituere omnes fructus beneficiarius non recitans, quando beneficium habet aliud ministerium, vt residentiam, vel obligat ad aliquot sacra facienda, vel ad curam animarum, &c. Sed deducenda est illa pars, que iudicio prudentis correspondet aliis ministeriis.

ministeriis, & ceteri fructus sunt restituendi pro rata omissionis. Probat, quia, cum beneficium illud detur non tantum propter officium illud recitandi horas canonicas, sed etiam propter alia ministeria, ratio ipsa postulare videtur, vt ob id, quod non recitat, non teneatur omnes fructus restituere, sed tantum qui arbitrio prudentis correspondent illi ministerio recitandi; ergo Concilium Lateranense sic est intelligendum. Et confirmatur, quia ipsummet decretum Concilij Lateranensis affert hanc rationem ad obligandum beneficiarium non recitantem ad restituendum fructus, quod beneficium datur propter officium; ergo, quando est aliud officium, debet deduci, quod correspondet illi. Item, quia pœne sunt restringendæ, iuxta cap. odia, de reg. iuris in 6. Sed ista est pœna; ergo restringenda est ad modum dictum: maxime quia talis restrictio est nimis conformis iuri naturali. Item probatur, quia nemo militat suis stipendijs vnquam, & ius nature postulat, vt laboranti detur merces. Item probatur, quia Concilium dicit, quod amittat fructus non recitans; sed fructus intelliguntur in iure, qui remanent, deductis expensis, vt dicunt omnes Iurisperiti, ex l. 1. C. de fructibus, & litium expensis. Nauar. summa, c. 17. num. 25. 205. 216. Syluest. & summissæ verbo fructus. Couar. alios referens lib. 1. var. cap. 3. n. 3. Pinellus l. 1. C. de bonis mater. 2. p. num. 14. ergo fructus, quos parochus teneatur restituere ob omissionem horarum, non comprehendunt illos, qui propter alias impensas, & ministeria debentur. Hanc tenet Medina in summa, lib. 1. cap. 14. §. 11. Idem Enriquez lib. 13. de excommunic. cap. 13. num. 2. Manuel 1. tomo summe, cap. 143. num. 4. Idem Aragon 2. 2. questione 83. artic. 12. fol. 869. & quamplurimi admodum docti recentiores, inter quos P. Enriquez à me consultus.

3 Sic conclusio. Hæc secunda sententia est multò probabilior, & amplectenda; vt patet ex eius rationibus, & authoribus. Nec obstat motus proprius Pij Quinti, quia, licet ille obliget ad restituendum, etiam pro vna die, immò etiam pro qualibet hora, que omitatur post sex menses a collatione beneficij, vt rectè probat Suar. supra n. 10. 11. & 12. non tamè est receptus in hoc rigore, vt obliget ad restituendum omnes fructus beneficij, seu beneficiorum; sed solum ad eos, qui correspondent recitationi, & qui propter illam dantur, vt testantur multi viri docti, & ex praxis timoratorum.

D V B I V M LXXXIV.

Quantam partem obligabimus, vt restituat quilibet beneficiarius pro omissione horarum canonicarum.

1 Ponam sententiam, & arbitrium sapientissimorum virorum, quos omnes retulit quidam valde doctus recentior in suis scriptis, vt iuxta id possit quilibet arbitrari in casibus occurrentibus, hoc enim (vt dixi dubio præced.) arbitrio prudentis pensandum est.

2 Cardinalis Toletus in sua summa, non distinguit in hoc de beneficijs, sed absolute, & in communi dixit, Ego crederem, quod beneficiarius non recitans teneatur restituere quartam partem, vt si habeat ex redditibus beneficij singulis diebus aureum, teneatur singulis diebus, qui

To. Sanchez. Confil. moral. Tom. I.

bus prætermisit horas, restituere quartam partem aurei; sed hoc non potest ita absolute dici, quia sunt beneficia, que nullum aliud habent ministerium, vt prælimonia, & inter alia, alijs plura habent ministeria.

Deinde quidam doctus recentior de hoc interrogatus dixit, quod habentem capellaniam condemnaret ipse ad restitutionem, pro omissione horarum, sextæ partis fructuum: habentè beneficium curatum, ad restituendum quartam partem fructuum, & Canonicum ad restituendum dimidiam partem fructuum: quam sententiam sequuti sunt alij viri docti nostræ Societatis, excepto, quod in canonicatu multum illis fuit visum obligare ad restituendum dimidiam partem fructuum; & in beneficijs simplicibus, quibus est seruitiu annexum, dixerunt, esse restituendam tertiam partem fructuum; alij verò quartam, aut quintam.

Rursus Enriquez lib. 13. de excommunic. cap. 13. num. 2. in commento littera P. & Z. dicit, satis esse, quod curatus, aut Episcopus restituat quintam partem, Canonicus quartam, & alij habentes beneficia simplicia tertiam partem, & dicit, hæc sententiam esse communem recentiorum.

Metina in summa, lib. 1. instruit. confess. cap. 14. §. 11. dicit, capellanum non recitantem teneri restituere tertiam partem fructuum; habentem curatum quartam partem; habentem autem prælimonium omnes fructus, vel ferè omnes. Et idemmet Metina consultus de quodam Canonico Toletano, cuius canonicatus redditus annui erant mille aurei, & per biennium non recitauerat, dixit, compellendum esse restituere propter omissionem horarum biennij quingentos aureos, qui sunt quarta pars reddituum illius biennij: quod idem respondit quidam vir doctus Societatis 12 s. v. Atque hoc arbitrium, quoad canonicatum, esse satis rationi consonum, senserunt alij, & iuxta hoc habentem beneficium curatum ad multò minorem restitutionem esse obligandum. Manuel 1. tomo summe, cap. 143. n. 4. tenet eum Metina, quod beneficiarius simplex tertiam partem restituat, curatus quartam.

6 Sic conclusio. Hoc arbitrium Metina videtur mihi rationi consonum, præterquam, quoad habentem prælimonium, nam, vt bene Enriquez lib. 13. de excommunicat. cap. 13. num. 2. satis est, si habens prælimonium, vel pensionem, restituat tertiam partem fructuum, quia hæc correspondet officio horarum, cum hoc accessorie sic coniunctum titulo, nam ante multo dicebant, non obligare ad officium, & reliquos fructus retinebat ob titulum ex causa datum, & refert alios modernos, & dicit, hoc solummodo esse receptum motum proprium Pij Quinti.

D V B I V M LXXXV.

An, qui recitat officium diuinum sine vlla assentione, teneatur restituere fructus.

D V Plex est sententia. Prima dicit, teneri restituere fructus quando defectus attentionis est talis, vt ille non satisfaciatur præcepto Ecclesiæ de recitandis horis, iuxta supradicta. Probat, hic non magis satisfaciatur præcepto Ecclesiæ, quam si non recitaret; ergo perinde teneatur fructus restituere, ac si non recitaret.

X

recitaret. Sic Manuel *1. tomo summa, cap. 141. num. 1.* Aragon 2. 2. *quæst. 83. art. 12. fol. 870.* Nauarr. *cap. quando, cap. 13.* Hispan. *num. 18.* Lat. *n. 17. & c. 20.* Hisp. *num. 42. 43.* Lat. *num. 32.* ubi etiam vniuersaliter docet, teneri restituere fructus, qui tam male recitat, vt præcepto non satisfaciatur, quia perinde est, ac si non recitaret; & alij. Idem videtur sentire Socio *lib. 10. de iust. quæst. 5. artic. 6. vers. subrexiur nihilominus.* Idem tenet Nauarra *lib. 2. de restit. c. 2. num. 231. 232. 233.* Sed non est contra secundam sententiam, quia tantum agit, quando deest etiam externa attentio.

Secunda sententia docet, beneficiarium recitantem horas sine attentione, etiam datâ operâ, non teneri restituere fructus. Probatur, primò, quia lex penalis est restringenda, sed Concilium Lateranense, & Pius Quintus iubens restitutionem fructuum est in penam delicti omissionis horarum, & tantum loquitur de non recitante; ergo non debet extendi ad non recitantem attentè. Secundò probatur, quia sicut is, qui confitetur in Quadragesima absque dolore, non satisfaciatur præcepto Ecclesiæ, at non incurrit penam Ecclesiæ contra non confitentem, vt fatentur plures, inter quos est Metina *C. de confess. q. de confessione sine penitentia cordis, in fine.* & Nauarr. *in summa, cap. 27. num. 269.* ita, licet recitans sine attentione peccet, & non satisfaciatur præcepto Ecclesiæ, at non subinde incurrit penam Ecclesiæ contra non recitantes. Et confirmatur, quia Nauarr. *ibi* dat rationem, quia (inquit) Ecclesia non imponit penam propter actum, qui tantum ob relationem ad actum interiore, est malus; sed hæc recitatio est tantum mala propter euagationem interiore; ergo propter illam non censetur Ecclesia imponere penam restitutionis fructuum. Sic tenet Cordub. *lib. 4. questionary, quæst. 13. in fine.* Idem alij viri docti à me consulti. Et hæc sententia est probabilior; & potest insuper confirmari; cum enim valde sit ambiguum, an sit necessaria interna intentio; insuper esto necessaria sit an teneatur non attendens horas repetere, vt ex suprâ dictis constat, in hac re tam dubia rationi consonum est, vt mitius nos habeamus, quoad fructuum restitutionem. Item quia defectus attentionis non est contra iustitiam, sed contra religionem.

DVBIUM LXXXVI.

An habens beneficium, qui omittit horas canonicas absque peccato, teneatur fructus restituere.

1. Sit prima conclusio. Qui bona fide absque culpa omisit horas canonicas, vt quia nesciebat legere, vel quia carebat Breuiario, vel quia confessor dixit illi, non teneri recitare, non tenetur fructus beneficii restituere. Probatur, quia Concilium Lateranense, & Pius Quintus in suo motu proprio in penam culpæ omissionis horarum induxit obligationem restituendi fructus; ergo, qui excusatur à culpa, excusari etiam debet à pena. Ita Nauarr. *cap. quando, latine cap. 22. in fine.* Idem nonnulli docti recentiores. At Doctores citati *suprà* *dub. 81.* qui dicunt, teneri restituere iure naturali, docent, teneri in hoc casu: & quod teneatur restituere, tenet Petrus de Ledeſma *2. tomo summa, tra-*

ctat. 1. cap. 4. post decimam conclusionem, difficultate 2. Hinc

Inferitur, quòd nesciens recitat, licet peccet acceptando beneficium, quia tamen non peccat omitendo horas, durante impotentia recitandi ob ignorantiam, & defectum directoris, pro eo tempore, quo dicere nequit, nec habet instructionem, non tenetur restituere fructus. Et idem dicendum est de non recitante ob defectum Breuiarij, vel aliam impotentiam, licet culpa sua in eam impotentiam incidere. Ratio, quia in his casibus excusatur à culpa non recitandi. Sic Nauarr. *ibidem.*

Secunda conclusio. Si verò confessor ille dixisset, quòd teneatur recitare, sed quòd non teneatur restituere, licet nonnulli dixerit teneri restituere, at sufficit, quòd restituit fructus, in quibus factus est delictor. Ratio, quia ille peccauerit non recitando, at bona fide consumpsit fructus; ergo obligandus est ad restitutionem tanquam bonæ fidei possessor, scilicet in quantum solùm factus est ex ipsius locupletior. Sic prædicti recentiores.

DVBIUM LXXXVII.

Cui teneatur restituere fructus beneficiarij non recitantes.

1. Sit prima conclusio. Tales fructus restituendi sunt fabricæ Ecclesiarum, ubi sunt alia beneficia, vel pauperibus. Ita habetur expressè in Concilio Lateranensi, & motu proprio Pij Quinti *dubij præcedentibus* citatis. & tenet Nauarr. *cap. quando, cap. 7. num. 33.* & summa Lat. & Hispan. *cap. 25. num. 121. 122.* Sotus *lib. 10. de iust. quæst. 5. artic. 6.* Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 2. num. 191.* Manuel *1. tomo summa, cap. 143. num. 3.* & quidam neoterici docti.

Inferitur, hunc beneficiarium satisfacere restituendo fructus fabricæ, licet ea sit distissima. Ratio, quia facit, quod iubent Concilium, & motus proprius, precipientia hanc restitutionem. Sic neoterici.

Secundò inferitur, quòd, si beneficiarius ipse, qui debet restituere fructus, sit verè pauper, potest sibi eos retinere. Ratio, quia obligatus aliquid restituere pauperibus, potest sibi retinere, quando verè pauper est, cum non sit peioris conditionis, quam alij pauperes, vt fatetur communis omnium sententia in materia de restitutione; ergo. Sic Manuel, Nauarr. & Aragon *locis citatis.* Nauarra *ubi supra.* & præfati neoterici.

Ultima conclusio. Qui noluerit integros restituere fructus, habet optimum remedium, scilicet vt componat se de talibus fructibus cum Papa, vel eius Nuncio, si eam habet à Papa facultatem: in qua compositione est minor scrupulus, quam in alijs, etiam si pro parua parte Pontifex remittat reliquum, dummodo fiat vera, & integra relatio Pontifici. Ratio, quia obligatio hæc restituendi ex solo iure Pontificio conſurgit, vt *suprà* dixi; ergo Papa potest illam remittere per compositionem. Sic docti neoterici.

DVBIUM LXXXVIII.

An Canonici non recitantes horas teneantur restituere fructus fabricæ, vel pauperibus, vel potius alijs Canonici.

1. Duplex est sententia.

Prima dicit tria. Primum est, decretum Concilij Lateranensis, in quantum iubet, vt beneficiarius non recitans restituat fructus fabricæ, vel pauperibus, non habet locum in distributionibus quotidianis; ea enim, quando Canonici, vel Portionarius, vel alia dignitas non lucratur, accrescunt cæteris assistentibus horis. Secunda est, non habet etiam locum in fructibus, quos Hisp. vocant *la grusa*, & in illis habent Canonici ratione canonicatum; ij enim, si Canonici eos non lucratur ob omissionem horarum, accrescunt cæteris Canonici. Probat, quia illi fructus post obitum Canonici, dum vacat canonicatus, pertinent ad Canonicoꝝ collegium, vt colligitur ex *c. relatum 2. de testam.* ubi id docet Couarr. *n. 2.* & ipso teste, communis Doctorum, & Panor. *ibi* ubi notat Couarr. quòd acquiritur per alium Clericum habentem beneficium extra congregationem, vel collegium, succellori dantur; ergo eadem ratione cæteris Canonici debent accrescere fructus, si Canonici eos non lucratur, vel morte ciuili, vt depositione, vel excommunicatione, vel quia non recitat, vel quacumque alia de causa. Tertium est, non satisfaciatur talis, si fabricæ, vel pauperibus restituatur, si tamen cæteri Canonici temittant, non tenetur restituere. Hanc sententiam tenet Nauarr. summa Latina, & Hisp. *cap. 25. num. 123.* & in noua Latina, & *cap. quando, cap. 7. Lat. & Hisp. num. 34. 35.* & alij. Et eiusdem sententiæ videtur Couarr. *lib. 3. variar. cap. 15. num. 7.* ubi enim tractat hanc questionem, an distributiones quotidianæ, & fructus, etiam principales, quos *grossam* vocant, absentium, accrescant præsentibus, & responder duplici distinctione, seu limitatione. Prima est, quòd, ubi statuto, seu consuetudine Ecclesiæ certa quantitas distributionum, vel reddituum principaliorum est destinata ad hoc, quòd diuidatur inter ipsos ministros in ipsorū victum, & laboris mercedem, tunc tam distributiones, quam redditus principales absentium sunt distribuendi inter præsentibus: si verò resita sit instituta, vt cuilibet Canonico, qui præses horis Canonici fuerit, detur certa, ac definita quantitas, seu in distributionibus, seu in annuis redditibus principalioribus, tunc portio absentis non est danda cæteris præsentibus, sed maneat apud ipsam Ecclesiâ.

Secunda limitatio, seu distinctio est, quòd id, quòd dictum est, partem absentium pertinere ad Ecclesiam, tunc habet locum, cum ex patrimonio Ecclesiæ, cui ministratur, dantur redditus, & quotidianæ distributiones ipsius ministris, nulla factâ diuisione reddituum inter ipsam Ecclesiam, & eius ministros; at verò, ubi patrimonio Ecclesiasticum in duas fuerit diuisum partes, quarum vna sit propria ipsius Ecclesiæ, ad eius fabricam, vestes, & alia ei necessaria; altera verò sit distincta ad ministrorum victum, & laboris mercedem, tunc id, quòd dictum est, in præcedit distinctione pertinere ad Ecclesiam, verè cedit in patrimonium commune ipsorum ministrorū, siue sint distributiones quotidianæ, siue redditus principales. Hæc Cou. Idem Th. Sanchez *Consil. moral. Tom. I.*

tenet Nauarra *lib. 2. de restit. c. 2. n. 191.* & Manuel *1. tomo summa, c. 143. num. 3.* dicit, quòd Canonici non recitans tenetur restituere cæteris assistentibus distributiones. Et in Ecclesiis, ubi est statutum, vt fructus malè percepti dentur certis operibus pijs, illis sunt restituendi. Et de Canonici tenet idem Aragon 2. 2. *quæst. 83. artic. 13. fol. 869.*

Secunda sententia tenet oppositum. Sit Prima conclusio. Quantum ad distributiones quotidianas, quæ sunt in Ecclesiis cathedralibus, & collegialibus, quando quis amittit illas ex eo, quòd non recitat, vel ex eo, quòd non assistit horis Canonici, debent distribui inter eos, qui interfuerit horis illis diebus. Et in hoc acceptamus opinionem præcedentem (vide *infra* *dub. 101.* ubi dico, Canonico assistentem choro, licet non recitet, nõ teneri distributiones restituere); & idem dicendum est cum opinione præcedenti ex quacumque alia causa, vt propter excommunicationem, &c. illas amittit. Probatur, quia in Trid. *sess. 21. cap. 3. de reform.* decernitur, vt omnes distributiones quotidianæ diuidantur inter eos, qui diuini interfuerint officij. Sic idemmet Nauarr. summa Hisp. *cap. 28. addit. ad num. 133. cap. 25. & alij.*

Nota, quòd, licet prima facie videatur contrarium dicto decreto *sess. 21. c. 3.* decretum eiusdem Trid. *sess. 21. cap. 3.* ubi statuitur, vt distributiones absentium fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, vel alteri pio loco, arbitrio ordinarij, applicentur, non tamen est contrarium, nam prius decretum intelligitur de distributionibus, quæ solent diuidi inter assistentes officij diuinis; at posterius decretum intelligitur de distributionibus, quæ amittuntur ab iis, qui non adimplent onera particularia sibi ab Episcopo imposita, qui (vt *ibi* decernitur) non tantum perdunt distributiones, quæ sibi propter illud onus datur, sed totam illius diei distributionem; sic enim dicitur *ibi, qui eas*, (scilicet distributiones) *obtinent, si personaliter competens sibi seruitium, iuxta formam ab Episcopo præscriptam, quolibet die statuto non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius dominium acquirant.* Sic concordat Nauarr. *dicta* *additione ad num. 133. & cap. quando, latine cap. 22. num. 51.* Hinc

Inferitur, quòd hanc partem, quæ debet fabricæ Ecclesiæ, vel alij pio loco distribui, nullo modo possunt alij Canonici remittere; non enim est suum. Sic Sandoval *lib. de offic. Canonic. c. p. c. 17.*

Secundò nota, quòd, si nulli canonicis horis interfuerint, omnes quotidiana distributiones, quæ eis essent dandæ, si præsentibus fuissent, ad Ecclesiam ipsam pertinent. Sic Couarr. *ubi supra.* Dominicus, & Francus *cap. unico, de clericis non resident. in 6.* Guillelmus Cassiodorus *eodem tit. decisio unica.*

Secunda conclusio. Quando Canonici amittit alios fructus principales, quos vocant *grossam*, restituere debet fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, si eos amittat, eo, quòd non recitat horas. Probatur primò ex Concilio Lateran. & motu proprio Pij Quinti, ubi statuitur hæc pena non recitantes, quòd teneatur restituere fructus pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ; & motus proprius expressam facit mentionem de Canonici, & Concilium Lateranense vniuersaliter dicit, *Quilibet habens beneficium cum cura, vel sine illa.* Secundò probatur, quia iste Canonici non recitans

recitans non tenetur iure naturali restituere fructus, vt diximus *supra*; sed tantum iure positivo ex Concilio Lateranensi statuente hanc penam non recitanti; sed Concilium ipsum simul etiam statuit, cui esset applicanda talis pena in conscientia ante vllam condemnationem, nempe pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ; ergo illis facienda est restitutio in conscientia. Tertio probatur, quia potest contingere, quod iste Canonicus, qui non recitauit, ministravit Ecclesiæ æqualiter, sicut alij Canonici assistendo choro, & aliis officiis, & processibus; ergo non est iustum, vt illis restituatur, cum æquè, ac illi ministraverit. Vltimo probatur, quia, si oppositum esset verum, sequeretur, quod Canonicus, qui non recitauerit, non posset se componere de fructibus coram Pontifice; quia, si isti fructus essent Canonico- rum, esset compositio in præiudicium partis: hoc autem videtur falsum, & contra communem usum; ergo. Hæc conclusio est contra auctores primæ sententiæ: illam tenet Enriquez lib. 7. de indulgentiis, cap. 36. num. 3. in commento litteræ P. qui à me consultus dixit esse falsam sententiam Nauarri, & communiter docti recentiores.

8 Vltima conclusio. Similiter, si Canonicus propter excommunicationem, suspensionem, vel propter aliud impedimentum occultum amitteret fructus principales beneficii, non tenetur illos restituere aliis Canonicis, sed fabricæ Ecclesiæ, cuius est beneficium, vel pauperibus, sicut & alij beneficiati. Probat eisdem rationibus conclusio præcedentis. Et confirmatur; quia, quando beneficiatus ob simoniam commissam in obtentione beneficii tenetur restituere fructus, communis sententia est, quod tales fructus sunt restituendi Ecclesiæ, cuius est beneficium, vel pauperibus, nec vllus excipit ibi Canonicos; etgo falsum est, quod dicit Nauarr. quod ex quacumque causa Canonicus non facit fructus suos, faciendæ est restitutio aliis Canonicis. Sic nonnulli docti neoterici. Adde tamen, quod in casu simoniæ est vera doctrina Nauarri.

DVBIVM LXXXIX.

An Canonici, qui choro non intersunt, lucrentur distributiones quotidianas, vel eas teneantur restituere.

1 Nota fructus beneficiorum esse in duplici differentia: quidam in genere constituti sunt, vt reddantur habenti beneficium ex titulo iusto, & canonico. Alij vero distributione quadam veluti diurnum, & horarum stipendium his, qui quotidianam ministerio in celebrandis officiis diuinis subserviunt Ecclesiæ, distribuuntur. Fructus priores communiter appellantur fructus beneficii; & posteriores vero quotidianæ distributiones. Sic Couar. lib. 3. var. cap. 13. num. 1. Hinc

2 Inferatur, quod appellatione fructuum beneficii non veniunt quotidianæ distributiones. Sic colligitur ex cap. unico, de cleric. non resident. in 6. & cap. ultimo, §. in illo, de concess. prebend. in 6. & sic docent Francus dicto cap. unico, in principio, num. 2. & ibi Dominicus §. qui vero. Ioannes Andreas in addit. ad Speculatorem, in rubr. de concess. prebend. Couar. ubi supra.

Secundo inferitur, quod, cum in impetratione beneficii à summo Pontifice valor eiusdem sit omnino exprimendus iuxta regulam Cancellariæ 21. 60. & 62. satis erit valorem summo Pontifici significari secundum eorum reddituum estimationem, qui absque quotidianis distributionibus ex eodem beneficio percipiuntur. Ratio, quia distributiones quotidianæ non arguent beneficii valorem, nec id, quod pro annuæ laris datur, cum hæc ratione personalis operæ & laboris dentur, vt constat ex dicto cap. unico. Sic Oldradus, Rota, Anchar. Ioann. Andr. Barba, Philippus Probus, Ripa, Parisius, Staphilæus, Gomezius, quos refert, & sequitur Couar. ibidem. Felinus cap. ad aures, de rescript. num. 14. glossa regula Cancellaria 60. Francus dicto cap. unico, §. statuimus, num. 1. Staphilæus de literis gratis, in tract. de formis expectatiuarum, in forma 9. num. 44. & duobus sequentibus, atque, fructus exprimendos in valore beneficii esse solos illos, qui absenti à beneficio acquiruntur. Idem profus Ludouicus Gomez in tract. expectatiuarum, num. 64.

Sit conclusio. Canonici, qui non intersunt horis canonicis, nisi interueniat aliqua ex iustis causis expressè dicto cap. unico, scilicet infirmitas corporis, necessitas, aut euident Ecclesiæ utilitas, de quibus latè differendum est dubiis sequentibus, non lucrentur distributiones quotidianas, sed eas tenentur in conscientia restituere. Sic habetur expressè dicto cap. unico, & docent ibi omnes Doctores. Et idem decretum renouatur, & confirmatur in Concilio Trident. sess. 24. cap. 12. de reformat. & est conclusio certissima, & omnium. Qualiter autem conciliatur Tridentin. sess. 21. cap. 3. de reformat. & sess. 22. cap. 3. quatenus in hoc decernitur, aliquas distributiones amissas ab absentibus applicari fabricæ, & ibi applicari aliis præsentibus, vide Nauarr. operibus nouis, miscel. 59. de oratione, num. 6.

DVBIVM XC.

An Canonici, qui choro non intersunt propter morbum corporalem, lucrentur distributiones.

Francus cap. unico, de cleric. non resident. in 6. §. qui vero, num. 1. censet, distributiones non deberi infirmis, nisi id consuetudine obtentum sit, & sic explicat illud caput.

Sit tamen conclusio. Canonici, qui morbo corporali impediti non intersunt choro, lucrentur distributiones quotidianas. Probat, quia dicto cap. unico, postquam decreuit Pontifex, distributiones non dandas esse absentibus, excipit eos, qui causa morbi non adfuerunt. Item, quia sic habet usus omnium Ecclesiarum. Sic glossa dicto cap. unico, vers. infirmitas, & glossa cap. 11. de clericis agrotantibus, D. Ant. 3. part. 15. c. 1. §. 14. Panor. c. ad audientiam, de cleric. non resid. n. 5. Dominicus dicto cap. unico, §. statuimus, Couar. lib. 3. var. cap. 18. num. 8. Nauar. summa, cap. 25. num. 133. Rolé. verb. residentiam, num. 3. Syluest. ubi quest. 7. & verbo beneficium 5. quest. 3. Angel. verbo Clericus 7. n. 7. Arm. verbo beneficium, num. 62. Gabr. 4. dist. 15. quest. 8. art. 3. dub. 2. Honcala in opusculis, opus. 1. v. art. 4. Duchesna regula 206. fine, Sandoual lib. de officio canonico, 6. part. cap. 17. Padilla, 1. ff. de legatis 2. num. 44.

Nota

DVBIVM XCII.

An Canonici, qui absunt ab officio diuino, propter aliquam urgentem necessitatem, vt quia ob pestem fugerunt, vel quia sunt vi detenti, vel iniuste excommunicati, vel expulsi sine sua culpa à ciuitate propter seditiones à contraria factionis hominibus, lucrentur distributiones quotidianas.

ET videtur, quod in his omnibus casibus lucrentur distributiones quotidianas, quia cap. unico, de cleric. non resident. dicitur, lucri distributiones quotidianas, qui non assistunt propter aliquam corporalem necessitatem, & nomine corporalis necessitatis intelligitur omne iustum impedimentum, vt docet Francus dicto cap. unico, §. qui vero, num. 1. & Dominicus eodem §. Nauarra lib. 2. de restitutione, cap. 2. num. 201. & Anchar. eodem cap. notab. 6. & sic de Canonico incluso in carcerem expressè docent, lucri distributiones, Anchar. & Dominicus ibidem, & de expulso sine sua culpa à ciuitate expressè docent eadem Calder. tit. de prob. conf. 17. Felinus cap. cum omnes, de constit. num. 22. Probus dicto cap. unico, n. 22. vbi Dominicus §. qui vero, & Anchar. & Francus eodem §. qui vero, num. 4. Sandoual lib. de offic. canon. 6. part. cap. 17. & refert pro hac sententia Panorm. & Boërium. Sit

Prima conclusio. Absens à loco beneficii propter pestem non recipit distributiones quotidianas, nisi consuetudine obtentum esset, eas absenti ex causa iusta dari. Ratio, quia nullus textus est id probans. Sic Couar. lib. 3. var. cap. 13. num. 8. vers. 9. Ripa tract. de peste, part. 2. num. 145.

Secunda conclusio. Canonici iniuste in carcerem inclusi in eodem oppido, vbi sunt Canonici, ac propterea non possunt interesse diuinis officiis, percipiunt, etiam remota consuetudine, distributiones, & eis debentur. Ratio, quia sunt in eodem oppido, & citra suam culpam absunt, & ea reputatur corporalis necessitas, quam excipit ius. Sic cum Dominico, & Anchar. supra citatis, tenet Couar. eodem num. 8. vers. 11.

Tertia conclusio. Canonicus iniuste excommunicatus potest post excommunicationem petere distributiones quotidianas, cum tempore ipso excommunicationis præsens fuerit in loco sui beneficii, eratique solitus ante excommunicationem diuinis officiis adesse. Patet eadem ratione. Sic Couar. ibidem vers. 12. Perz lib. 8. ordinam. tit. 5. l. 1. fol. 175. Idem Nauarra lib. 2. de restitutione, cap. 2. num. 238. & 239. & addit, etiam iuste excommunicatum lucri distributiones, dum per ipsum non fiat, quominus absoluitur, quia iam est legitime impeditus, sicut de eo, qui sua culpa contraxit morbum, dictum est supra dub. præcedenti; faciunt ad hoc Doctores dicentes, excommunicatum lucri fructus beneficii, quando per ipsum non fiat, quominus absoluitur. Quare Dominicus, qui cap. contumaces, dist. 15. oppositum asserit, intelligendus est, quando ante tempus excommunicationis Canonicus non erat solitus interesse diuinis.

Quarta conclusio. Canonicus expulsus sine sua culpa à ciuitate propter seditiones à contraria factionis hominibus, tunc tantum lucri distributiones quotidianas, quando in sua

X 3

Ecclesia

5 Nota primò, conclusionem debere intelligi, quando agritudo fuit vera absentis causa, cum scilicet is, qui modò agrotat, solitus sit tempore rectè valetudinis officiis diuinis interesse: si enim agrotus non confuevit tempore integre valetudinis horis interesse, non percipiet, durante agritudine, quotidianas distributiones. Ratio, quia casus superueniens recipit interpretationem secundum statum præcedentem, vt patet ex cap. maiores, de baptismo, penè in fine. Sic Panormit. Couar. D. Anton. Syluest. Angel. Armil. Gabr. Honcala, Sandoual, Padilla ibidem, Rolé. verbo beneficium 2. num. 4. Cardin. dicto cap. ad audientiam, Corletus in singularibus, verbo, infirmus, Felinus cap. Apostolica, de except. num. 1. 1. 12. Nauar. cap. quando, latine cap. 11. n. 10. Grassi 2. parte decis. lib. 3. cap. 15. num. 10. Azor tome 2. lib. 7. cap. 7. q. 11. Manuel 1. tome flamme 2. edit. cap. 33. num. 6. licet minus bene Nauarra lib. 2. de restit. cap. 2. num. 218. & 209. reprobet hanc limitationem, quia mala intentio nil facit ad restitutionem.

4 Ex quo fit, quod Canonici, qui ad aliquas tantum horas ire solebat, si incidat in infirmitatem, illarum tantum lucri distributiones: patet ratione dicta. Sic Nauar. eodem cap. quando, cap. 11. num. 10.

5 Secundo fit, quod, si Canonicus Cordobensis pro rebus suis agendis petat Tolerum, & ibi infirmetur, non lucri distributiones, quia morbus non fuit absentis causa. Sic colligitur ex omnibus Doctoribus citatis, & tenet expressè Honcala, & Sandoual ubi supra.

6 Secundo nota, quod morbus debet esse talis, vt abique salutis detrimentum non possit horis interesse: si enim esset leuis, non excusaret. Sic Sandoual ubi supra, Anchar. dicto cap. unico, & ibi Dominicus §. qui vero, & innuit glossa dicto cap. unico, vers. infirmitas, vbi dicit, infirmitas, qua à celebracione diuinorum excuset.

7 Hinc fit, cæcitate, vel surditatem non esse sufficientem morbum, vt Canonicus deficiens choro lucretur distributiones. Ratio, quia adesse choro non nocet huic morbo, & suâ præsentia chorus authorizatur. Sic Nauar. cap. quando, c. 19. Hisp. & Latine num. 81. 82. & alij.

DVBIVM XCI.

An quando Canonicus ex propria culpa incidit in morbum, adhuc lucretur distributiones.

DVplex est sententia.

1 Prima dicit, non lucri; quia culpa sua non interest officiis. Sic Probus cap. unico, de Cleric. non resid. in 6. n. 17. Rolé. verb. residentiam, n. 3. idem innuit Host. tit. de Clericis non resid. num. 2.

2 Secunda sententia docet, lucri distributiones quotidianas. Ratio, quia hi quamuis propria culpa sint impediti, hoc tamen impedimentum, nec à iure, nec ab homine, fed ab ipso Deo illatum est, nec in id culpa agrotantium præcedit, vt morbo impediti non possint personaliter ministrare. Sic Couar. lib. 3. var. c. 13. n. 8. vers. 7. & videtur esse omnium Doctorum, quos retuli dub. præced. qui absoluit, & sine distinctione assuecunt, ægris deberi distributiones quotidianas, & est multò probabilior hæc sententia. Idè Nau. lib. 2. de rest. c. 2. n. 239. Th. Sanchez Consil. moral. Tom. 1.